

IOANNIS MEYRSI
INDVCIARVM
HISTORIA;

five.

RERVM
BELGICARVM
LIBER QVINTVS.



AMSTELODAMI,
Apud GVILIELMVM & IOANNEM. BLAEV,
c1o 1o c XXXVIII.

IN D.V. C. I. A. R. V. M.
LIBER QUINTVS
R. B. R. V. M.
R. E. I. C. I. C. A. R. V. M.



AMSTERDAMI
Johannes & Joannem. B. A. V.
C. I. C. E. R. T. I. C.

Illustrissimis ac Potentissimis Dominis,

D. D. O R D I N I B V S

GENERALIBVS FOEDERATARVM

BELGII PROVINCIARVM,

PATRIÆ PATRIBVS,

ILLVSTRISSIMI, POTENTISSIMIQ. DOMINI,

HEN VOBIS Historie meae specimen, aut potius vestrae, quam de rebus vestris scripsi. Liber quidem mole non magnus, neq; inde eum aestimari par est; sed argumento, quo commendare se vobis non erubescit. Certè propter illud, sine invidia dixero, legetur Posteritati, & placebit. Legetur, & in admirationem lectorem abripiet, cum tam praeclarum hunc tanti belli colophonem videbit. Obstupescet, qui quadraginta retrò annos, eorumque procellas ac tempestatem cognoverit, in hanc felicitatem enavigasse Remp. vestra virtute atque constantia. Et profectò, quidnam in rebus vestris non admirandum? Non palpum obtrudam, & ab assentationis crimine me veritas liberabit. Pro libertate publica, quae gravissimè præter jus fasque omne oppressa, arma cum laude magna sumpstis, majore gessistis, maxima posuistis. Nam quid accidere vobis gloriosius poterat, quam ut bellum animo majore quam spe inchoatum, tam ancipite alea tam diu continuatum, salva libertate, pro qua pugnabatur, finiretis, idque præter expectationem. Videte ordinem occultum rerum! bellum illud atrocissimum, cui se amissa jam spe irritata patrum virtus accinxerat, præter spem omnem compositum habetis. A miraculo calamitas publica incæpit, in miraculo desit, & se cum felicitate nunc item mutavit. Nimirum ubique animadvertitis præsentem Deum. Iterum dico, hanc Remp. vestram quis non admirabitur? immò quis satis? cum in illa admiranda sint omnia, initia, progressus, finis. Vos & fecistis fortia, & passi estis; & præclarissima virtutis exempla, quae secula ventura acciperent, edidistis. Repraesentemus parumper præteriti temporis intervallum, & quodvis momentum palaestram dabit, in qua constantia se vestra exercuit, illa magna, illa invicta, quae — per damna, per cædes, ab ipso Duxit opes animumque ferro.

Foris semper gravissimus hostis, domi sæpe etiam advocata auxilia eripere Remp. minabantur: & cum ad opprimendos conjurasse undique omnia viderentur, animum tamen semper servastis, libertatem vindicastis, & per tam varias, tam ingentes turbas, tranquillitatem reduxistis, letam rerum faciem reposuistis, istis Induciis, quas exigua hoc libello descriptas vobis exhibeo. Agnoscite hic præstantissimum virtutis vestrae fructum; agnoscite beneficium, quo patriam obstrinxistis; quod pretium non habet, quod nulla laus æquabit, nulla ætas oblitterabit. Agnoscite coronam magnanimæ patientiæ, quae lauros omnes antecellit. Ego libellum hunc testem Memoriae consecro, & Posteritati. vos illum oculo benigno aspiciate; item me, clientem ac subditum, ex veteri formula, devotum. Ita vobis, Illustrissimi, Potentissimiq. Domini, Deus Opt. Max. libertatem, potentiam, gloriam augeat, ac conservet ad nominis sui sanctissimi honorem, & Reip. vestrae salutem. Lugd. Bat. Kal. Sept. clō Io c xii. li 2





*H*abes ecce Rerum Belgicarum librum unum, & in eo Induciarum historiam, pressim pertractatam. Nam ut diffunderem me, visum non fuit. Iudicio abstinui, & naturâ quoque, quâ magis placet illa adstricta brevitâs, Salustio ac Tacito usitata, quam Asiaticâ quadam luxuriâ diffluens dicendi scribendique genus. Et notum est elogium Persii:

Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quàm levis in totâ Marfus Amazonide.

Cura autem mihi imprimis duæ fuerunt; & ne quid dicendum non dicerem, & ne quid dicerem non dicendum. Vtrunque si præstare non potui, bonâ voluntate excidi; & postremum si cari, opera me pretium fecisse existimo. Quippe in historiâ scribendâ, planè ut in vitâ agendâ, summa circumspectio requiritur. Multa enim sæpenumerò interveniunt, cum in Rep. administrandâ, tum in bello gerendo, aut pace componendâ, quæ historiæ dignitatem non attingunt, neque posteriorum memoriæ mandari debent. Sic in hac Induciarum tractatione plurima acciderunt, quæ posteritas scire non laborabit, & ad historiam quoque non pertinent. Itaque satius duxi, circumspectè brevis esse, quam parum prudenter in magnam molem opus diffundere; quod garrere historiam est, non narrare. De cætero, hoc etiam operam dedi, ut quemadmodum simpliciter, ita verè rem gestam scriberem; & feci, idque liberè alibi, sed ex historiæ lege, non animi adfectu. Nam mens recta, ubi res exigit, cum offensâ quamvis, verum dicere audet. hanc ingenuam libertatem qui ferre non potest, is se accuset. Pluribus non te morabor: hoc unum peto, uti iudicium sine adfectu mihi præstes. Vale, &, quisquis es,

ÆTERNITATEM COGITA.

I N D V C I A R V M

H I S T O R I A .

R E R V M B E L G . L I B . V .



BELGICO bello finiendo tentata aliquoties pax fuit, sed quam semper fraus Hispani instabilem fecit; cui decretum, virtute an dolo, evertere populum, ut interpretari ipse, majestatis reum. Et effecit ea res, ut pacem postea saepe oblatam, adnitente nequicquam Cæsare, ceu damnosam Foederati aspernarentur. Tandem tamen, sed vindicatâ libertate, animum inclinant, & inducias paciscuntur annorum XXI. ingenti quidem illas molimine, & dubio aliquamdiu eventu; verum enimvero tam grave ac diuturnum bellum, tantis hinc inde animis gestum, nisi difficulter componi non poterat. Ac initio inter Ordines ipsos dissensus; & bellum hi præstare publice, isti pacem contendebant: bono utrique in remp. affectu. tum in populo quoque partes, prout studia, aut consilia. Negotii autem universi principia, progressus, finisque ad hunc se modum habuerunt.

Pertesus jam bellandi Hispanus, adversus populum pro libertate agere quidvis & pati certum, cum arma ponere in animo haberet; gnarus, uti vetus verbum est, melius pacem sub clypeo procedere, ut cum dignitate faceret, ultimas postremum vires tentare statuit. idque cum fortiter pariter & feliciter fecisset, jamque ulterius perrecturus putaretur, prudenter fortuna utendum ratus, pacem obtulit. Venit primo eam in rem Hagam Comitibus anno MDLXVI Walravio Wittenhorstius, toparcha Horstii; sed re infectâ dimissus, rediit desinente Decembri cum Ioanne Gevarto, I. V. L. & indicavit; *mandatum sibi, de pace ut ageret, ad quam Archiduces, fessi bellorum cladumque, totis ani-*

*mis inclinarent, idque aquisimis conditionibus, & quas rejicere Foederati neutiquam possent. nihil ipsos postulare, nisi quod jure optimo liceret. proinde peterent, quæ ad securitatem suam pertinere arbitrarentur; ipsos omnia, si æqua vellent, rata cupere. Igitur, sive pax placeret, sive induciæ, locum tempusque conveniendi destinarent, idque gratum ipsis fore. Quod si clam quoque, & per paucos, quam propalam agere mallent, itidem paratos esse, acturosque optimâ fide. Sed ne sic quidem aliquid effectum est. Nam cum literas ad Foederatos nullas haberent, ulterius progredi non consultum videbatur. Quamobrem confestim Bruxellas profectus Gevartus literas petiit, quæ de Archiducum voluntate ad pacem propensa fidem facerent. his allatis, dari sibi senatum rogarunt. eoque concesso, Foederatis jussa exponunt, adhortantes; *considerarent aleam belli valde incertam, ac pacem tandem, aut inducias, amplecterentur: & pristinam Belgio tranquillitatem felicitatemque restituerent. Ad quæ respondere illi; quandiu in fœderatas provincias Archiduces aliquot jus prætenderent, nihil sane effectum iri. quippe de libertate sua orbi universo constare, neque in eam aliud quicquam ipsis competere, quam quod vis atque arma dedissent. quin sibi potius recuperanda ea esse, quæ per vim fraudemque erepta, violato solenni edicto, quo gravissimis justissimisque de causis in libertatem assertum esset Belgium; quodque res plurimæ, annis XXV proximis publica auctoritate gesta, contractusque cum Europæ aliquot regibus ac principibus potentissimis, confirmassent. Quamobrem in præsens nullum illis responsum dare aliud posse, quam quod Casari, aliisque principibus, ante id temporis dedissent. nimirum, neque pie sese, neque honeste, neque tuto agere quicquam cum iis posse, qui contra edictum hoc in provincias suas prætere aliquid non desisterent. testari porro, non sibi im-**

MDLXVI
C VII.

putari debere, si quæ incommoda deinceps ingruant, dum ad causam longe iustissimam defensionem arma retinent. Ita dimissi discesserunt, mox responsum relaturi. Postea per literas Wittenhorstius iis nuntiat; non hanc Archiducibus mentem, ut meliorem conditionem suam faciant, aut aliquod denique in provinciis fœderatas jus prætendant; sed salvam libertatem fore. itaque, si vellent, agere hoc pacto paratos esse. Extremo Februario in Hollandiam venit Ioannes Neius, summus ordinis Minorum præfectus; & Riswici, qui pagus Haga dimidio milliari distat, clanculum commoratus, ideo se missum indicavit, ut exploraret, quæ causa inutilem Wittenhorstii operam reddidisset. privatimque cum Mauritio collocutus, Hagam accedere iussus est. ubi, sermone cum quibusdam communicato, iterum admissus declaravit: non Archiduces jus suum hic auctum velle, non Fœderatis derogatum. Cumque significatum esset; necessarium plane fore, ut statum hunc illi liberum agnoscant, pronuntientque, si effectum quicquam vellent; ut cædibus porro ac rapinis parcere, operam daturum se promisit, qui id ipsis persuaderet. Ivit itaque, rediitque; cum hoc responso: Archiducibus nihil magis in votis esse, quam pacatum semel tandem Belgium videre, ea propter fœderatarum provinciarum libertatem omnino agnoscere, neque quicquam in illas juris sibi ascribere. eoque nomine agere quoque cum ipsis velle, sive de perpetua pace, sive de induciis; ad XII, XV, aut XX annos, ex arbitrio Fœderatorum. & negotio pertractato VTRINQUE VTI POSSIDERENT, ITA POSSESSORI ESSENT: nisi communi consensu urbium locorumve quædam permutatio instituenda videretur. Delecturos huic rei indigenas esse, quibus parem quoque numerum ipsi opponerent, tempusque ac locum suo arbitratu caperent. Utque melius negotium procederet, armistitium ad proximum octimestre indictum velle, quo utrinque obsidio nulla tentaretur; neque invadere locum quæquam, aut excurrere prædæ causa miles quoquam permetteretur: munitiones etiam novæ nullæ fierent. quin porro item effecturos, ut intra trimestre consensum Hispaniarum regis, eumque scripto consignatum, sint habituri. ea tamen lege, ut intra octiduum Fœderati armistitium ratum habeant: ante ineuntem vero Se-

ptembrem de negotio universo, ejusque tractandi loco ac tempore, decernant, idque etiam scripto testentur. Fœderati conditionibus his auditis, re cum Mauritio & Senatu communicata, libertatis agnitionem, & armistitium, cæteraque, placere sibi responderunt. Inde urbium munitionumque suarum præfectos certiores statim faciunt, & arma ponere in proximos octo menses jubent. tum, ut inchoato negotio daret eventum, sacrosancto nomini suo gloriosum, rei que publicæ salutarem, supremum Numen veneraturi, solennem precibus ac jejuniis per provincias diem inducunt. Circa XXI vero Aprilis mittunt Theodorum Verdoesium unam cum literis, quibus armistitium octimestre probari sibi testarentur; & ibidem in rem eandem literas Archiducum accipere jubent; quas Neius mox attulit. sed solēnibus neglectis scriptas cum recipere gravaretur, Bruxellas ille confestim misit, qui alias convenienter scriptas procuraret. Id ubi factum, domum rediit comite Neio, cui commissa interpretatio; eique cum senatus ægre datus esset, de finibus armistitii actum, enuntiatumque, per Oceanum ad Hesperidas usque insulas se id porrigere. & initium quidem futurum à XIV mensis Junii; post quod tempus prædas omnes, præter instructas bello naves, reddendas esse. tum classem quoque, Hispania littus infestare iussam, simul literas, quæ rem gestam approbarent, inde afferrentur; illico revocatum iri. porro ut mari, ita terra distincti etiam utrinque limites, quibus miles contineretur. His ita actis, Neius abiit; magnumque toto Belgio gaudium, cum votis omnium, precibusque, daret Deus semel tandem finem bello tam diuturno, & cruento. Quin & in vicina regna delatus rumor admirationem non exiguam excitavit, cum tam subitæ mutationis causa nesciretur, credique non posset, adeo vel Archiduces debellatos esse, vel tam incautos Fœderatos, ut aut illi tam magna offerre, aut hi bona fide oblata credere animum inducerent. augere admirationem istam secretum rei, quæ nec per legatos explorari posset. tam paucorum utrobique negotium erat. Itaque à Galliarum rege missi, præter Paulum Buzenvallium, ordinarium tunc legatum, ordina-

dinarium tunc legatum, Petrus Ianinus, & Elias Placæus Ruffius, qui voluntatem erga Foederatos propensam commemorarent, & constantiæ testandæ, vel proferendo deinceps bello iusta auxilia, vel paci contra componendæ consilia promitteret. cuius fructum ut integrum caperent, auctoritate illos sua se adiuturum peterent item, ut aliqui ex ipsis deligerentur, cum quibus conferre sermones, & providere pariter possent, ne quid Resp. detrimenti caperet. Ac placuit sane hæc legatio, & decretum, uti manerent promovendo negotio, deputatique cum quibus agerent. Simile auxilium etiam à magnæ Britanniæ rege orare visum est; misique eo Ioannes Berckius, urbis Dordracenæ syndicus, & Iacobus Maleraus, Heiesius, cum ordinario illic legato, Natali Caronio Schonewallio; qui honorificentissime excepti cum mandata exposuissent, responsum à rege retulerunt: *collaturum libenter, si quid profuturum ipsis videretur. eamque in rem Richardum Spenserum, & Rudolphum Winwodum, equestri utrunque dignitate, destinasse.* Per id tempus laboratum ab Archiducibus, ut quæcunq; hæcenus egissent, quæque porro acturi essent, rex Hispanus rata haberet: ideoque allatæ à Birago, qui Spinolæ ab epistolis, litteræ ejus; quibus & rata habere se omnia, & regia fide observaturum, asseveraret. Eas literas, comiteatu impetrato, detulit exhibuitq; Verreickius, rogans insuper, uti classem, quæ Hispaniæ oram infestaret, revocarent. Vbi apertæ hæc, lectæque, fraus deprehensa est, quam incuria scribæ factam Verreickius dicere; Bruxellis quoque animadvertam ab Archiducibus, qui tamen, testanda fidei, quando iis approbatio universalis contineretur, vel ista forma mittendas arbitrati essent. nihilominus, si id urgerent, mox alias ad ipsorum arbitrium proferendas. darent sex dierum moram, mandatis aliis expectandis. Cum obtinuisset, persuadere postea conatus est, ita scriptas illas esse, ut satisfacere bono jure ipsis deberent. nihilominus misisse de nullo in Hispaniam Archiduces, qui rem regi reele exponerent. instabat etiam vehementer, uti classem revocarent; & hanc Archiducibus gratiam facerent. Deliberatum hic aliquamdiu, responsumque; omnibus modis frau-

dem in literis factam videri. peccatum in earum forma, qualitate, & substantia. ommissa etiam aliquot verba, neque Gallicè scriptas esse, nec subscriptum regis nomen. porro nec sigillo magno obsignatas, nec universalem denique totius negotii approbationem complecti; neglectamque libertatis mentionem, quam Archiduces fecissent: ideoque statui abs se nihil posse ante diem Kal. Septembris. Formulam item exhibebant, Germanica, Gallica, & Latina lingua, ad quam regi approbatio scribenda esset, antequam agere ultra quicquam vellent. præterea item decernendo tantum temporis postulabant, quantum inter ix Kal. Sextiles, & Kal. ipsas Septembres interesset, placere tamen in gratiam Archiducum, ut classis ab Hispaniæ ora revocetur; prædæque post sex septimanas proximas factæ restituantur. Cum hoc responso Verreickius discessit, animis omnium spei plenis, post inhibita semel arma, vel pace negotium, vel induciis terminatum iri. quamvis nonnulli, rerum magis periti, aliter judicarent; rem arduam & intricatam esse, animis utrinque in sua commoda nimium intentis. nonnulli autem quibus potentiæ Hispanicæ magnitudo ob oculos versabatur, credendum non putabant, fore, ut pactis Hispanus assentiretur, verum fraudem aliquam subesse: alii contra, tam multi sanguinis, & cxx millionum impensam, tot motus militares, aris alieni magnitudinem, pecuniæ inopiam, continuam Hispaniæ infestationem, imminentem Indicorum commerciorum ereptionem, aut perturbationem, impellere animum tanti regis potuisse; maxime cum apud Foederatos potentissima xxxvi annorum Societas adversus Indias occidentales institueretur, quæ res Hispanicam magnitudinem fractura omnino videbatur. Ea de causa sapienter Regem & Archiduces facere, qui sectari amissa desinerent, cum non alia ratione ad pacem tractandam induci possent; metuedumque insuper esset, ne aut sua imbecillitate, aut vi aliqua majore compulsi, ad Gallum confugerent: cuius protectio periculum haberet, & ceteris aliquando Belgii provinciis Hispanum expulsura timebatur. Longe igitur satius esse, in pace partem meliorem possidere, quam tam locupleti accessione Galliam firmare; quæ Hispanici nominis auctoritatem ac terrorem non leviter imminutura videbatur. In provinciis

foederatis multi prudentes ferio rem agi persuadere sibi non poterant; itaque displicere iis tota tractatio, & existimare: *nullum alium finem fore, quam ut sub Hispani dominatum relaberentur; idque jam à multo tempore clam agitatum: & inducias, siue pacem, restaurandis viribus fieri. non facile saluum esse statum publicum posse, aut regimen provinciarum firmum; non ingruentes difficultates cum auctoritate expediri; non tributa prorogari, si in suis ea provinciis Archiduces minutum irent; non conservari imperium matris, si commeatus, ac vectigalia, tollerentur. Iis vero continuatis periculum esse, ne commercia mox rarefiant, quæ plerunque eo transeunt, ubi exigi minimum solet. non facile etiam armari reip. ministros adversus corruptelas Hispani, quæ jam tum se proderent. & perituram militiæ disciplinam; nec, si fidem Hispanus frangat, libentem armorum populum fore, pacis intervallo eviratum.* Interim Hispaniæ immittebat classis Belgica, de qua revocanda sedulo laboratum erat, ut navibus Hispanicis, in Indiam utramque ultro citroque commeantibus, secura omnino profectio esset; quæ res Junio præterito obtineri non potuerat, unum hoc tantum indulgentibus Foederatis, revocatum statim iri, simul Philippus inchoatum negotium per literas ratum se habere testatus esset: quæ dum expectarentur, nulla illi vel auxilia vel commeatus subveherentur; & hoc revocationis instar esse. nam iis subductis, redeundi necessitatem tacite imponi. Et hæc quidem etsi lege ista concessa, approbaturum tamen regem, quæ acta erant, multi sane dubitabant; potissimum ubi in Hispania atque Belgio, in fano Luciferi, Gadibusque, Vlissipponæ, Gerundæ, ac Dunkercæ, bello instrui naves viderent. Dum hæc geruntur, Archiduces motus militares componere satagebant, allatis pridem ex Hispania Ioc aureorum cIo. tum militem quoque supervacaneum exauctorabant, Hispanicum tantum Italicumque retinentes, per præsidia distributum, quæ urbes opulentiores redimebant. Idem factum à Foederatis in Britannis, cæterisque extraneis, quorum infrequentia signa; item in Liburnicis, quarum mox partem, continuandæ in Indiam Orientalem navigationi,

iterum armarunt. Embda hoc anno naves plures Occidentem versus solverant, quæ pleræque in Hispania & Lusitania detentæ, tanquam quæ ad Hollandos pertinerent, aut Ennoni Comiti suo rebellarent, à quo tamen commeatum frustra ostendebant. & earum nonnullæ rursus dimissæ, nonnullæ graviter vexatæ, vectoribus partim ad remos abductis, partim ad operam regi in bello ac navigatione Indica aut Brasiliiana navandam. Perculit hujus cladis nuntius Embdanos, & populum adversus magistratum concitavit, præsentem maxime illic Ennone, qui eo nomine in tumultus excitandi suspicionem venit, cum præsto haberet utrumque fratrem, & in propinquo præsidium Linganum. Hæc de causa Foederati milites urbi auxiliares c I o c I o, Ennoni æneatorem mittunt una cum literis, quibus testarentur: *ignarum nemini, quanta cum fide ad concordiam inter ipsum, & parentem olim ejus, Frisiosque Orientales constituendam laborassent; cui asserenda primum Delfziliæ anno c I o I o xcv, deinde iterum Haga comitis c I o I o c I I I, & mox in postremis comitiis I V Eid. Novemb. sese obstrinxissent. Nunc autem compertum habere, Embdanorum præsidiariorum stipendia ipsius opera interversa, ut motum aliquem concitaret; & quod consequens, statum urbis perturbaret. insuper prohibuisse, ne publica pecunia, huic rei assignata, quæstori suo solverentur: tributa quoque & indixisse sine Ordinum consensu, & exegisse: tum naves plurimas, Embdâ in Hispaniam profectas, de ipsius consilio illic detentas, merces omnes fisco addictas, nautas crudelissime habitos. dein ipso connivente factum, ut Linganorum aliorumque excursionibus Frisia Orientalis incolæ, civesque Embdani, misere vexati in vinculis abducerentur. Quæ omnia quando palam contra pacta fierent, statuisse ipsos, siquidem contractu solenni toties obstricti essent, providere, ne quid tale in posterum moliri possit. Quamobrem monitum sane velle, uti, incommodis avertendis, ad x I V à receptis literis diem x I c I o florenos, præsidio Embdano persolvendos, numerari jubeat, ceteram pecuniam quæstori suo reddi curet. tum præterea indictiones præter Ordinum consensum factas, & quæ injuste exegisset, restitueret. porro ad navium nautarumque liberationem operam daret, & præsidia quoque*
Linga-

Lingana Frisia Orientali arceret. nisi faceret, testari serio, non se malis imminentibus obnoxios fore; qui nihil aliud propositum habeant, quam concordiam inter ipsum subditosque inviolatam conservare. Hisce literis hoc effectum, ut in Britanniam Henricum Stamlerum Enno mitteret, qui regem oraret, uti pro ipso intercederet, ne quid severius statueret Foederati vellent; Hagam vero primo quidem Dothiam Wiardam, mox Guilielmum Kniphufium quoque, & Thomam Frantziium Cancellarium, qui Foederatis affirmarent, extra culpam Ennonem esse, & paratum pactis stare; Embdanos autem vano à mala conscientia metu percelli. à quibus missi Vbbo Remetzius, Samuel Wingenius, & Daniel Altingus, qui decreti executionem urgerent; nam sat perspecta Ennonis consilia, qui unum hoc ageret, ut perpetuo illos vexaret, magnisque impensis in eas alienum involvere quæreretur, ut ea ratione civium studia in se derivaret. tum non unæ commeatus maritimi literæ, inter se contrariæ, ab iis prolatae, quibus fraudis manifestum Ennonem facerent. Re intellecta, comiter utrosque Foederati dimisere, commonentes; pacem mutuo, & concordiam, deinceps colerent. De cætero Embdanis promissere, curaturos sese, ne qua ipsis injuria fieret. Medio Octobri Foederatis Spinola scribit; allatas ex Hispania literas, quibus rata se habere, quæ in hoc negotio agerentur, rex nuntiaret. tum commeatum Neio & Verreickio petit, qui has tradituri essent. Eo dato, Hagam illi cum venissent, postridie admissi, pleniores, quæ exspectabantur, literas, Mantuæ Carpetanorum datas xiv Kal. Octobres, exhibuerunt. His Philippus testabatur, quando Archiduces in negotio inchoato hujusmodi literas ab ipso promississent, quibus certo credere possent, omnia sine exceptione à se probari; maturo consilio, & plena potestate regia, ad promissi satisfactionem, & totius negotii confirmationem, declarare se in præsens, sive pace componenda, sive induciis, cum Foederatis agere ceu omnino liberis, in quos juris nihil sibi vindicaret. cuncta etiam, quæ in Archiducum declaratione proposita, rata velle; ac promittere verbis regis, plenissime ea observaturum, neque quicquam contra facturum, aut fieri unquam permissurum. quin immo daturum

operam, si quid contra factum fuerit, id uti bona fide reparetur. curaturum porro, re pertractata, ut ex ipsorum arbitratu omnia observatu necessaria quam amplissime expediantur. Si tamen de religionis negotio, aut quibusdam aliis rebus, convenire inter se non possent, atque ita vel pax vel induciæ non procederent, tum jus suum integrum velle, neque has literas ratas habere. Harum literarum geminum quoque exemplar exhibebant, Gallica unum, alterum Germanica lingua. Ad hæc Neius magnopere regis in hoc negotio sincerum affectum commendare, qui de illis ipsis literis, quo magis ratae eæ essent, & à suspitione fraudis alienæ, cum senatu deliberasset: laudandum isto nomine dictitans, quod interpretæ ipse sui non fucatam animi mentem clare expressisset, nihil promittens, quam quod præstare re ipsa cuperet. non facturum, si fraudem aliquam cogitaret. Neii verba Verreickius excepit, de Archiducum quoque fide in re præsentis, & inclinatio ad pacem animo, multa referens. ac cognosci abunde posse, cum tam sedulo satisfactum Foederatis per omnia cuperent. Foederatis, simul apographa accepissent, legissentque; negligentiam deprehenderunt, & verba passim prætermissa; aut interpolata; neglectam item solennem formam, & neque in pergamena scripta, nec subscriptum regis nomen. Itaque re cum Gallia & magnæ Britanniaë legatis communicata, indictoque in vi Kal. Novembres conventu, interrogarunt; ecquid literæ aliæ pleniores expectari possent. cum negaretur, interque tractandum ambigua hæc omnia explicari, & difficultates tolli posse, responderetur, ampliandum censuere. Itaque libratis diu consiliis, postridie Kal. Novembres responsum decernunt; literas, ut jam ante ostenderant, omnino delinquere; & inscriptione pariter atque subscriptione peccatum: tum verba passim temere ommissa, aut interpolata, adeoque extremam clausulam promissorum abolitionem præ se ferre; cum tamen Regi, & Archiducibus, atque omnibus eorum consiliariis exploratum satis esset, ipsos, veluti rerum suarum supremos arbitros, qui neque regis, neque Archiducum leges agnoscerent, Dei Opt. Max. gratia, & foederatorum principum auxilio, providere facile posse,

posse, uti bene resp. ordinetur; nec proponi hanc
 in rem ab ipsis quicquam oportere, nisi contra
 fidem datam agere vellent. Et quanquam ex-
 pendendum esset, tam dubiis literarum verbis,
 an negotium inchoatum prosequi consultum fo-
 ret, promovendo tamen tranquillandi Belgii in-
 stituto, & ostendende animorum ad honestam
 tutamque pacem inclinationi, visum uti literas
 hasce examinandas per provincias omnes mit-
 terent, & legatis post v i proximas septimanas
 significarent, an operi incepto porro manum
 admoveere è rep. putaretur. nunquam vero ad-
 missuros, quicquid aliquatenus contra has ap-
 probationis literas, aut Archiducum promissa,
 obliqua aliqua interpretatione proferri posset. &
 si pergendum forte videretur, tum planissime
 se considerare, neque regis, neque Archiducum no-
 mine, ita uti promissum erat, quicquam un-
 quam propositum iri, quod aut statum publi-
 cum laderet, aut cum civium suorum salute
 conjunctum non esset. Ab Archiducibus item
 decimo post denuntiationem hanc die legatos
 destinandos idoneos, plenâ potestate instructos;
 & facturos eadem ipsos, ut quam citissime im-
 poni negotio finis posset. Hoc responsum
 Neio & Verreickio datum postridie Kal.
 Novembres; quæsitumque, an ipsas ap-
 probationis literas tradere vellēt. sed hoc
 illi facere posse se negabant, & nec Bru-
 xellas referre, in quo nullum tamen dis-
 crimen Fœderati arbitrari, itaque rem
 differri volebant, & mandatis ampliori-
 bus tempus dari. id ubi concessum esset,
 profectus Bruxellas Neius, nonoque post
 die reversus, mandatum sibi significavit,
 ut literas traderet, & acceptilationis syngra-
 pham reciperet, qua declararent Fœderati, sat
 Archiduces promissis fecisse, & restituendas li-
 teras fore, si forte postea re infecta discederetur.
 Hoc displicere Fœderatis, qui neque im-
 pleta promissa censebant, & fraudem in lite-
 ris manifestam, nec chirographi restitut' nem
 necessariam esse, quod negotio non
 se irritum. Cum hic Neius & Verreickius
 tergiversarentur, Fœderatique à senten-
 tia non desisterent, petita iterum amplia-
 tione, & concessa, rursus Bruxellas abiit
 Neius, mandatumque attulit; uti simpli-
 citer, & sine ulla acceptilatione, aut restitu-
 tionis promisso, literæ illæ traderentur. quod
 ubi factum, recessere. Et tunc Fœdera-
 tis visum, ut per suam quique provinci-

am, an pergendum in negotio instituto
 arbitrarentur, indictis comitiis delibera-
 rent, mox rursus ad v i Eid. Decembres
 conventuri, & mandata de re præsentī
 allaturi. Cum in eo essent, literæ ab Im-
 peratore allatæ, v i i Eid. Octobres scri-
 ptæ, quibus ille commemorare; nec sum-
 ptui se, aut opera ulli pepercisse, nec patrem
 etiam Maximilianum, ad componendas Belgii
 turbas. ideo mirari, inchoatum hoc negotium,
 neglecto ipso, & inconsulto; eoque rem præsen-
 tem dirigi, ut ex provinciis hisce unitis resp.
 aliqua libera constituatur: cum tamen nemo
 ignoraret, Belgium totum Romani Imperii seu-
 dum esse. quamobrem cogitandum ipsis, in re
 tam gravi nihil omnino decerni posse, de quo
 non cognoscere ipse prius deberet. quod si qui-
 quam molirentur, ad naturam & legem feudi
 immutandam, id ratum esse minime posse:
 itaque scire se ex ipsis velle, quo res totalo
 esset, & quid animi porro haberent; ut tam
 suum, quam Imperii sui, jus tueri possit. petere
 item, ne ignaro, aut non permittente ipso, porro
 aliquid constituerent; neu quid etiam incepta-
 rent, quod, ne fiat, ipsius, aut Romani Impe-
 rii interesset. Hisce literis hoc respondent.
 Admirari se magnopere, nec vel à Philippo
 rege, aut Archiduce, certiore factum esse;
 quod si scissent, non in hanc rem commissuros
 quicquam fuisse. Porro meminisse satis, quoties
 & ante & post administratam à Mathia fratre
 remp. frustra ab Imperatore petiissent, ut tam
 graviter laborantibus adversus vim oppressio-
 nemque Hispanorum succurreretur. scire etiam,
 ante annos xxviii coram Imperatoris & Im-
 perii legatis Colonia Agrippina de pace consti-
 tuenda actum fuisse: sed cum interea quam ve-
 hementissime in ipsos savire hostis non desine-
 ret; ob privilegia violata, & omne crudelita-
 tis genus, qua Philippus contra fidem in crea-
 tione datam usus esset, secundum Belgii jura ac
 leges, anno clō lxxxvi coactos, si remp.
 salvam vellent, exiremax media adhibere, &
 solenni edicto absolvere populum sacramento,
 quo Philippo principi dixerat. Ab eo tempore
 multos reges Principesque libertatem agnovisse,
 variosque eo nomine contractus imitos. quin et-
 iam terra marique, virtute sua & auxilio re-
 gum ac principum fœderatorum, defendenda
 libertati semel vindicata, magna alea, & im-
 pensa incredibilis, bellum gessisse. nihilominus
 Imperatori, & Imperii quoque Principibus,
 iisque

iisque Ordinibus, qui fœdus ictum deseruerant, significasse; displicere sibi magnopere calamitates, quibus Belgium, & provincia item finitima, vexarentur. neque quicquam magis velle, quam honestam ac certam pacem; quam tamen, nisi salvo vindicatae libertatis edicto, fieri non posse existimabant. idque prolixis admodum verbis declarasse in literis ad Imperatorem, & Imperii Principes, datis anno MD CV. dein anno proximo ab Archiducibus de pace ineunda agi cœptum; ac tunc conceptis quoque verbis testatos esse, non se agere cum eo posse, nisi legitimam libertatem, & tot annorum intervallo confirmatam, agnoscere paratus esset. atque ab illis secreto primum, deinde signatis etiam literis responsum esse, provincias se hasce liberas habere, nec quicquam in illas juris sibi vindicare. duros insuper omnem operam, uti hanc libertatis suae agnitionem rex Hispaniarum intra proximum trimestre diplomate publico ratam faciat; idque mox ita factum esse, adjunctum literarum exemplar indicare. De cetero considerare ipsos, Imperatorem, & quoscunque Imperii Principes; pro benigno in remp. suam affectu, negotium hoc totum approburos, & promovendo necessaria curaturos. Desinente Novembri à rege Daniæ, ad quem Reip. causa legati, Boulenius, Simonius, & Magnus reversi, multa de propenso ejus in provincias hasce studio referentes, & legatos mox ab eo adfuturos, qui imminentem de pace tractatum consilio atque opera adjuvarent. Ii fuere, Iacobus Vlefeldtius, regni consiliarius, & Ionas Charisius, Iurisconsultus, adveneruntque in eunte Decembri; &, quæ de rege suo legati pauldò ante retulerant, affirmarunt. Mox ab Electore Brandenburgensi adfuit quoque Ioannes Discovius, qui mandata exponere distulit aliquandiu, dum eos, qui à Palatino destinati, præstolatur; sine quibus nihil dum agere iussus erat. XIII Kal. Ianuarias Fœderati indicto conventu, mandata quisque sua protulerunt, quæ ista erant: *uti cum Archiducum legatis, etsi minus plenis approbationis literis, de pace aut induciis tractarent; salva tamen ante omnia provinciarum libertate, quam infringi nullo modo paterentur, sive statum civilem res spectaret, sive Ecclesiam, aut Religionem.* Et diu multumque libratis consiliis cum Mauritio, Gulielmo Nassovio,

& Senatu, legatisque Gallico, Britannico, & Danico, (nam Brandenburgicus, herilia, quæ commemoravi, iussa prætendens, negotio se abstinebat.) IX Kal. Ianuarias Archiducibus per literas indicant; paratos sese, sub exceptione postridie Kal. Novembres facta, in qua etiam tum persisterent, cum legatis Hagam missis instauranda pacis negotium inchoare; quod septem octo rerum peritis commissuri essent, si certiores per literas fierent, post decimum diem vicissim ab ipsis, pari aut minore numero, mittendos alios; qui cum plena potestate, tam Philippi, quam ipsorum item nomine, rem tractarent. quando autem armistii finis instaret, considerarent, si cœpto operi insistendum videretur, an non in VI septimanas prorogari id expediret. quod si vellent, idem quoque sibi placere, modò ipsi, suo & Philippi nomine, ratum facerent. Exemplaria literarum Neio & Verreickio data, postulatumque, ut ipsas Archiducibus traderent. &, si delegandos aliquos iis censerent, de numero illorum, nominibusque, & profectiois die, statim certiores facerent, quo mature expediri commeatu possit. Id dum agitur, VII Kal. Ianuarias Hagam venit ab Electore Palatino legatus, Hippolytus à Collibus, Curia præses, cum cæteris Regum ac Principum legatis consilia in rem præsentem collaturus. Atque hic anni istius finis, qui Europam universam suspensam tenuit in expectatione pacis condendæ, è qua utilitatem quam maximam sibi quæque pars captabat. Fœderati libertatem, & supremam potestatem, quam Philippus & Archiduces transcripserant, vindicare summa ope nitebantur; quippe id maximum pacis fundamentum esse, nec bellandi, eâ datâ, justam deinceps causam fore. Hac spe tenebantur illi, qui in eam toto animo propendebant; potissimum, cum vix fieri posse existimarent, ut civitates, & quæcunque alia membra, post Unionem Ultrajectinam à suo corpore avulsa essent, armis ullis recuperarent. nam ut ejus ratio aliqua haberetur, necessitatem, quæ legibus cunctis dominatur, non permittere. multo autem satius esse, si quæ reliqua illis belli alea fecisset, ea uti conservarent, & honestissima conditione, integraque libertate, communirent.

rent. Ex parte adverſa etiam Archiduces, rebus ſuis perturbatis, ſubditisque bellum ulterius detrectantibus, temporis prorogatione res ſuas inſtaurare velle videbantur: quod effectu facilius exiſtimabant, quia bellum viribus exoticis gererent. hac de cauſa neq; penſi quicquam habebant, quocunq; modo negotium tandem inchoaretur. id ſperantes, ut potentia excellerebant, ita fore, ut utilitas quoque maior inde ad ipſos redundaret. quippe Fœderatos, jam monarchico ſtatui aſſuetos, extra ipſum difficulter ſubſtituros, ideoq; turbas habituros. inde perſuadere ſibi, quamvis juri quidem ſuo ac ſupremæ poteſtati renuntiaſſent, nihilominus futurū, ut poſtea votis potiantur. Spem hanc perſuaſionemque augere provinciarum urbiumque magna ubique privilegia, propter quæ concordia eſſe certa non poſſet, ſine ſupremi alicujus collegii auctoritate, ad quod rerum omnium cognitio cum pleniffima poteſtate pertineret. quod quandoquidem, etſi per quam neceſſarium, ne fervente quidem bello, ac periculis urgentibus, conſtituere potuiſſent; in altâ pace, ac libertate, multo minus conſenſum fore: unde motus inſteſtinos, & perturbandæ reipub. occaſionem datum iri. Dum his judiciis conſilia utrinque æſtimantur, æneatores, ac Archiduces pridem à Fœderatis miſſi, Hagam redeunt, literasque ab iis afferunt, quibus ſeſe poſtulatiffi aſſentiri teſtabantur; & negotium iis porro demandare, quibus hæcenus credidiſſent, eoſque Idibus Ianuariis Bruxellis diſceſſuros eſſe, & Antverpiæ noctem acturos, ſi & litera com meatus, & tranſvehendis illis naves ad III Eid. Lilloi paratæ ſtarent. De cætero ex literis Neii & Verreickii intellecturos, quibus præterea rei ſummam commiſiſſent. Ad armiftitium quod attineret, id quoque in VI ſeptimanas prolatum velle, & regis Hiſpani approbationem de eadem re promittere. Neius etiam, & Verreickius, itidem ſcribere, Ambroſium Spinolam, Ioannem Richardotum, & Ioannem Mancidiorium legatos eſſe, atque hiſ utrunque ſe collegam datum. Non ſatis placuit hæc legatio Fœderatis, & inutilis videbatur, ad quam nemo Belgii procerum mittebatur. tandem tamen, poſt conſilia cum legatis principum amicorum habita,

admitti qualemcunq; placuit. Ut vero in rebus omnibus ſemper venerari Deum oportet, ita, pro antiqua ſua pietate, in tam arduo negotio faciendum maxime rati, in VII Eid. Ianuarias preces publicas per provincias omnes indicunt, & ſummo numini pro acceptis beneficiis gratias agere, ac pro felici pacis tractandæ ſucceſſu vota nuncupare jubent. Poſt hæc legati, qui prono Scaldi devehi ſtatuertant, mutato per ingruens gelu conſilio, terreſtri ſe itineri accingere coacti, obviam profectis Liram uſque, tuti com meatus cauſa, præfectis Bredano ac Bergozomano, Juſtino Naſſovio, & Marcello Baxio, Hagam Comitiffi devenere, magnifice ubique per viam excepti. Hagæ cum appropinquarent, prope Riſwicum perbenigne Mauritius excepit, Henrico fratre, & Gulielmo Naſſovio comitatus. Ad ſpectaculum concurrerat ingens multitudo, avida videre hoſtem paullò ante patriæ inſeſtiſſimum pertæſum belli, ac nuntium pacis. Admirari item multi, & contra civilis prudentiæ legem arbitrari, hoſtem, eumque exercituum ductorem, intra ipſa reip. viſcera admitti, ubi inquirere pleniffime poſſet, quis univerſus ejuſ ſtatus; quis civium ſenſus, aut diſſenſus; quod etiam robur, aut infirmitas; dein, quis animorum affectus. alii quoque, parum prudenter tam arduum negotium delegatis committi, qui mandatis aſtricti eſſent, à quibus recedere non liceret. Sed Fœderati, quibus de Reip. ſuæ ſtatu, deque ſubditorum animis, atque affectu, melius conſtabat; nec tam facile aut eorum fidem impelli, aut in patriam communem amorem convelli poſſe ſciebant, modum hunc optimum cenſuerunt. Præterea res humanas qui attenderit, viciffitudinem hic earum manifeſtam animadvertet; & non ſine arcana quadam ratione factum, ut in intimum Hollandiæ finum pacem delatum ultro venirent, quam olim patres noſtri cum tot ſupplicationibus in ultimam Hiſpaniam fruſtra quæſitum iviſſent. Et Fœderati, quo certius ipſis res procederet, antequam illi advenirent, cum Galliæ magnæque Britanniæ legatis egerant, uti cum eorum Regibus fœdus aliquod ini-

retur,

retur, si qua forte pax fieret, salva provinciarum libertate, hanc ut ipsis certam præstarent, & si quid contra ab Hispano aut Archiducibus tentaretur, id modis omnibus prohiberent. adeoque his conditionibus inter Gallum & Fœderatos conventum fuit; *ut, si, pace semel constituta, vis aliqua fieret, auxiliares decies c10 suo stipendio ille mitteret; & plures quoque, si usus foret; idque tertio quidem mense, postquam transgressori res denunciata esset: vel statim quoque, si invasio manifesta, & auctoritate publica grassaretur. vicissim autem Fœderati quocumq; bello auxiliares quinquies c10, aut liburnicas totidem vectoribus armatas darent.* Sed cum Britanno decerni nil potuit; & impediebat partim commerciorum respectus, partim dispungenda adhuc æris alieni reliqua, quorum prius monopoli instar esset, commerciorumque libertati valde adversum: alterum majoris momenti, nec ita obiter transigendum censebatur. Ineunte Februario à Landgravio etiam Hassiæ legatus venit, Ioannes Burgius, qui heri sui erga provincias has affectum benignis admodum verbis nuntians, operam quoq; & consilium, offerrebat. Tunc Fœderatis negotium inchoare visum, missique ad Spinolam, & cæteros legatos, qui & salutem nuntiarent, & percunctarentur, *an que ad ipsos mandata haberent, an vero cum delegatis tantum agere vellent.* Ii autem respondere, *mandata ad ipsos nulla esse; id solum cupere, uti salutare liceret.* itaque admissi, & salute dicta, cum de inchoando negotio admonerentur, Richardotus inquit, *paratos esse, & quamprimum etiam velle.* Sic digressis deliberare Fœderati, quibus suorum instantem pacis, sive induciarum, tractatum committerent. & delecti, Gulielmus Nassovius, Frisiæ præfectus; Walravius Brederodius, Brederodæ, & alibi, dynasta; generatim provinciarum omnium nomine. speciatim vero è singulis singuli. E Gelria, Cornelius Gentius, Loënæ & Meinerfwici dominus, Burggravius & Iudex Noviomagensis; ex Hollandia, Ioannes Barneveldius, Eques, Tempelæ & Roderisæ dominus, Advocatus provinciæ, magni sigilli, & Archivorum præfectus: è Zelandia, Iacobus Maleræus, item Eques, Heiesi dominus,

pro Mauritio, Veriæ & Vlissingæ Marchione, primum in nobilitate Zelandica locum tenens: ex Ultrajectina dicecesi, Nicolaus Berckius, primus consiliarius; è Frisia, Gellius Hillema, curiæ Senator: è Trans-Iselania, Ioannes Slothius, Sallicii dominus, & Vollenhovæ satrapa: è Groningensi ditione, Abelus Conderfius, Elpeni, Fani, & Cantii dominus. Omnes viri & auctoritate clari, & multo rerum usu periti. Hi cum destinati essent, postridie Non. Febr. habitus primus conventus fuit, in quo exhibita utrinq; mandata, atque ita discessum. Biduo post conventum iterum, & causari Spinola, *non ampla satis mandata esse, quæ Fœderati attulissent, astringique eorum potestatem, præter eiusmodi negotiorum legem.* atque huic responsum, *plane nodum in scirpo quæri, neque difficultatis quicquam rem habere: quippe ordines, qui in rem præsentem essent, confirmare omnia posse. contra vero eadem sese optimo jure objecturos.* ad quæ respondere illi; *cum plenissima potestate advenisse, ejusque rei mox fidem facturos.* Tum rogati, *an veluti cum provinciis liberis agere jussi, affirmarunt, quemque vellent titulum permitteri.* & hic cum interpellarentur, *cur Archiduces neque insignibus provinciarum fœderatarum, neque titulis abstinere, excusabant; nihil hoc juri, aut libertati ipsarum detrahere. eadem Hispania, Gallia, & Britannia magna reges committere; quorum ille Hierosolymam, Navarram iste, hic denique Franciam titulis illustrandis ascriberet.* Exemptum hæc disceptatione tempus fuit, solutusque conventus, & rejectus in III Eid. tuncq; propositum, *uti juri in posterum omni in provincias fœderatas, Tencterosque, & Linganos, renuntiarent.* qua de re cum ampliarent, de petitionis hujus iniquitate multa apud legatos questi, ac sententiam Archiducum scitati, ipsis Eidibus responderunt; *accipere se conditionem, ea tamen lege, si in cæteris quoque rebus, & negotio Indiarum, conveniretur: ubi sperabant paria facturos Fœderatos, & aliquid Philippi certe regis Archiducumq; gratiæ duros; maxime quando amici deinceps futuri essent, & Hispania quoque commercia, questum maximum allatura, harum provinciarum populis permittenda.* Cumque hic disceptaretur, *unum hoc regem permovisse*

visse inquietabant, ut tam magna ipsis offerret. Mirari multi conditionem istam admitti, & existimare, cum tam magnifice talia promitterent, vel non præstanda ea videri, vel majus aliquid sperari, quo impetrato, minime gratuita Fœderatis libertas foret. Et à Britannia nuntii quoque afferebantur, Hobokenum, Archiducum illic legatum, dixisse regi, in hac libertatis pronuntiatione nihil sane momenti esse. confidere Archiduces, maximas eam turbas daturam; adeoque, concessa libertate, in pace facillime se effecturos, quod negatâ tam diu in armis frustra contenderant. xv Kal. Martias amnestia sancita fuit, statutumque, ne pignora ulla caperentur, nisi privati æris alieni causa. item, ut libera cuiusque utrinque essent commercia, & pari cum indigenis forte, nisi quod Indias Spinola exciperet, ac totum illum tractum, obnitentibus vehementer Fœderatis, & dictitantibus, contra provinciarum ac maris libertatem id fieri. Sic in ipso statim principio fatiscularum, non gratuitam Fœderatis libertatis restitutionem fore; cum sperarent adversarii hac potissimum ratione futurum, ut potentiam ipsorum detererent, suam augerent. Commovit ea res animos multorum, qui existimare nihil aliud agi, quàm ut libertas, tam speciose concessa, per hos quasi cuniculos subrueretur. quin Societas quoque Indica Orientalis convenire frequens, & cum Fœderatis, tum principum legatis ostendere sollicitè; rem periculi plenam esse, nec tam ad ipsos, quàm ad remp. universam pertinere, ne postulata Hispani obtineant. Vnice hoc pacto opes publicas sine impensa publica augeri; & tam multas naves bellicas, tormentis militibusque instructas, occupari. idque adeo unum esse, in quo ceteros fere reges principesque superarent; qui nunc ideo Fœderatorum amicitiam æstimarent, mox despecturi, simul redactos eo viderent, ut aliquando aut prodesse aut obesse non possent. Liberas hæc Belgii provincias propter situm, & incolarum etiam indolem, consistere nullo modo posse, nisi emporia sua portusque peregre advenctæ naves locupletent. item quando Hispani potentia non Belgio tantum, sed Europæ quoque reliquæ gravis esset, nulla ratione magis securitatem publicam præstari posse, quam si potentia tam immensa fundamenta subvertantur;

quod futurum, si thesauri ejus Indici in Belgas, ceterosque reges ac principes, deriventur. Objectum quidem fortassis iri; non necessaria Indiarum commercia esse, patentibus Hispaniis, quas pax decreta aperiret. sed his in promptu responsum: parum tuta illic commercia, & facile infructuosa reddi, idque experiundo satis didicisse. deinde inconsultum nimis videri, hosti reconciliato, & cui fides haberi certa nunquam queat, in potestatem tradere tam magnas opes, tam multas naves, tot tormenta bellica, tot peritos vectores, quibus pro libidine mox abutatur. curandum præterea, ne principes Indici, qui Belgarum se fidei benigne commisissent, in Hispani iterum servitutem redigantur, quod Belgarum laudem ac gloriam vehementer imminueret, & incrementum maximum afferret potentia Hispani, qui ingens opera pretium putaret, si Indias ipsis de manibus eriperet: in quibus cum per opulentissimas passim oras volentibus incolis commercia exerceant, tueri ea constantissime, nec Lusitanis concedere debeant. quod si semel forte remittant, ita in posterum prospetendum, ut de restauratione frustra sint cogitaturi. Amicitiam, conversationem, & commercia, pacis esse beneficia; quæ nullis denegentur, nisi hostibus. nulla exempla ex stare pacis cū exceptione tali, quæ relegationis instar esset, & tantum in hostes, aut facinorosos, decerneretur. itaque India prohiberi, manifestam injuriam esse cum fraude conjunctam. verbis in speciem magnificis libertatem pronuntiarum, re ipsa vero denegari, adeoque servitutem graviolem inferri, quam unquam sub principibus ullis passi essent, quamobrem pacem bello deteriolem tentari. dein ecqua fronte mercatoribus solertissimis, reique maritime peritissimis, commerciis istis interdici, aut maris usum eripi posse, quod jure gentium omnibus pateret? Everti funditus remp. totam sine hoc nervo, quo uno hæcenus se potissimum sustinisset; & tantum vires illius accidi, quantum istum. ex armari CLXXX naves maximas, in quibus ad novem CLXXXI vectorum. infructuosos reddi quotannis XLIII milliones florenorum. Hæc qui attendat, facile certe judicaturum, callide plane agere Hispanum, qui concedat libertatem, nihil nisi nomen futuram, ac dignitatem potentia cassam. Magna contentione res agitata, & tribus quatuor conventibus disceptata, animis utrinque obstinatis; donec Fœderati, non discedere à sententia certi, componendo

 C. VIII.
 C. VIII.

nendo diffidiotres rationes proposuerunt: uti vel commercia Indica pace indulgerent, vel Induciis permetterent, vel bellum ultra tropicum Cancrī continuarent: ubi, salvo, five pacis five induciarum contractu, fortunam porro cuique suam & vires experiri liceret. Primam & ultimam rejecerunt; illam, quia expresso mandato prohibebantur; hanc quia principes suos pacem velle dicerent, non bellum, aut ejusmodi tractatum, qui ita pacem constitueret, ut bellum tamen non finiret. istam accepturi videbantur, si induciis desinentibus Fœderati quoque consilium hoc omitterent. verum id illi cum negarent, & liberam tunc cuique potestatem decernerent, nullo effectu diremptum colloquium, communi utrinque apud legatos regum querela; cum illi dicerent, indignas principibus suis has conditiones, quibus, vel si captivi essent, graviores imponi à victoribus non possent: hi è contra, ea à se flagitari, vindicata libertate, quæ ægre subjugati concederent. Tandem cum frustra moveri hunc lapidem Hispani viderent, de induciis tractandis consentiunt. cumque negotii universi omnia capita Fœderati simul proponenda censerent, illi, iniquum, & inauditum, respondere: quin neque mandatum habere, & imparatas denique esse. quosdam ex ipsis Gallicæ Britannicæque paci pertractanda interfuisse, neque quicquam ibi tale postulatum; paratos singillatim agere, quod in ejusmodi negotiis solenne: & de collimitiis primo, de commerciis, deque restituendis bonis fisco addictis, & sic deinceps. Hic Fœderati; nihil iniqui postulatum hoc habere, cum ipsi eandem quoque legem sibi dicerent. non eo fieri, ut inter se fallant, aut quicquam excludant necessario tractandum, cujus addendi semper utriusque potestas foret; sed ut summatim semel sciretur, quæ universæ actionis præcipua capita essent futura. Hic cum deliberandum statuerent, digressi mox redierunt; testatique, liberum deinceps fore, ea addere, quæ addenda necessario viderentur, quædam utrinque capita exhibuerunt: Fœderati plura quidem, sed simplicia, & perspicuo valde sensu. Ut commercia utrinque in Belgio secura essent. Pignora capta remitterentur, neque alia in posterum ulla caperentur. Limites constituerentur, & loca quædam permutarentur, aut

muris dejectis panderentur. Rhenoberka, & cætera castella, Rheno aut Rora imposita, desererentur. Sententiæ, & proscriptiones, fœderis, religionis, aut belli causa, retractarentur. Domina, res soli, actionesque principis Auriaci, hæredibus restituerentur. Item bona, quæcunque fisco addicta aut ascripta in Belgio, ducatu Luxemburgico, comitatu Burgundico, & Ambaris. Navis oneraria detenta post 1x Kal. Quint. anni 1515 c. vii dimitterentur; bonaque hæc de causa distrahta restituerentur. Eorum quæ fiscus accepisset, aut bellum inutilia fecisset, usura redderentur. Dispositiones testamentariæ, odio religionis, fœderis, aut belli, in præjudicium cujusquam factæ, rescinderentur. Aes alienum, publica fœderis causa contractum, ad utrosque pertineret. Miles exoticus, qui in Philippi & Archiducum stipendio, veluti diffidentie fomes, auctoramento solveretur. In conscientiam nautarum, negotiatorum, cæterorumque provincialium, ne inquireretur; religioque in navibus suis libera cuique foret: neve ejus causa ea merceve fisco subjicerentur. Hereditates ab intestato hinc inde legitimis hæredibus obvenirent. Vetera urbium privilegia, quæ ante bellum existissent, illæsa ubique permanerent. Si inducia turbarentur, tum nautis, mercatoribus, institoribus, reliquisque incolis, uti salvis navibus mercibusque recedant, semestre indulgeretur. Si quid hic committeretur, id actione integra, resarciretur. Captivi omnes sine luitione dimitterentur. Actiones civiles, non publicè alienatæ, ob præteritum bellum, sine ullâ præscriptionis exceptione integra manerent. Quæ tractarentur, omnibus modis certa ac rata essent, atque in eam rem ut Cesaris, ita principum Imperii, & regum quoque Gallie, Britannie, & Danie auctoritas imploraretur. Principes, resp. civitatesque amice ac fœderatæ hoc tractatu comprehenderentur. Lusitani principis negotia componerentur, præsensque tractatus raturus haberetur, ac promulgaretur. Hæc Hispani cum viderent, numero illa multa dicere, ac longi temporis negotium esse. & Richardotus ad mentionem de ære alieno, publica fœderis causa contracto, pecunie penuriam obtendebat, & ararium bello exhaustum. Porro capita ipsi quoque quædam reponere, multo quidem pauciora, sed obscura, & multi sane argumenti: De limitibus, bonorum restitutione, commerciis exoticis, æquanda moneta, pariandis privi-

legiis & immunitatibus Anglicanorum commerciorum, negotiis religionis, & vicinorum principum. In his Fœderati, cæteris summatim perstrictis, cum religionis expressam mentionem, itidem ut in mandatis, animadverterent; & incertum haberent, an de restituenda majorum religione agerent, an vero de indigenarum hinc inde constituenda modestia, uti sententiam dividerent petierunt. nam hoc quidem ut civilis prudentia scitum egregium, & imperii quoque communis firmamentum; ita illud libertatem suam palam imminuere. Sed vero tergiversari hic Hispani, facturos sese, cum ad caput isthoc, quod inter ultima, pervenissent. Postquam autem tradita hæc capita, eò consilia dirigere videbantur, uti recederent aliquantisper, de Fœderatorum mente, & provincialium quoque inclinatione, quam ex multorum colloquiis didicerant, Principes suos edocturi. & manifesta res fuit, tum ex sermonibus familiarium, tum ex duobus proximis conventibus, ubi multa de commerciis Indicisque & Europæis obtestati, post longam disceptationem, formulas seorsim præscribi petierunt, in Hispaniam, & Brabantiam mittendas; ut, quid regi atque Archiducibus videretur, propius cognoscerent. eam porro in illis moderationem requirebant, ne quid animos ipsorum offenderent, aut existimationem læderent. quandoquidem autem rerum Antverpiensium minus periti essent, Martinus Faillius, & tres quatuor alii mercatores, ipsis uti permetterentur, quorum consilio in re proposita transigenda adjuvarentur. Re deliberata, ad Indiæ novennalem, & cæteram Europæ negotiationem stabilendam, pecuniariam cautionem adhibere visum fuit. itaque placuit, ut hic Hispani aureorum quindecies centena CLO, ipsi in Hispania quinquies centena consignarent. Id decretum mox exhibitum, & ampliare Hispani, ipsi quoque præscriptum aliquod offerentes, de commerciis Antverpiensibus, & cæterarum provinciarum ad Archiduces pertinentium. cumque diu multumque disceptatum esset, de libera mercium evectioe & invectione, item de jure stationis, utrinque prolata res est; & testati sunt Hispani, nisi consulto rege suo transigi hoc negotium non pos-

se. quando autem armistitii terminus instaret, in bimestre aliud extendendum videri. quod concessum. Conventu proximo valde impugnare Hispani, quod de Indica negotiatione Fœderati proposuerant; &, venire se in ea nō posse, pernegare: ac multo magis de tropico cancri mentionem nullam admittere, nimias in Hispania turbas daturam. aliam itaque rationem ipsi concipere, illam sibi maxime utilem, & quæ post novennii tempus commercium omne interverteret. quam Fœderati, etsi quidem improbarent, recipiunt tamen, ceu de ea deliberaturi. Vbi de præstanda securitate negotiorum agi coeptum est, Hispani objicere, pecuniariam cautionem in negotiis istiusmodi inauditam sanè esse, neque admitti ab ipsis posse, vacuo per bellum ærario. de negotiatione Europæa pauca admodum verba facere, mercatores Antverpia præstolantes, quibus commeatum impetrare impense laborabant. Fœderati, cum Indiæ negotiationis modum improbari Hispanis viderent, ne negotium intercideret, quod feliciter coeptum erat, & communi omnium spe propellebatur, tempori cedere fatius rati, uti huic fastidio obviam irent, serio iterum deliberarunt; &, perpenso rei momento quicquid libertate salva fieri posset, remiserrunt. ubi tamen varii sensus, multis consentibus, quicquid signate expressum non esset, damnum istud publicum fore, uti in contractibus ejusmodi usu fere venire solet. quippe qui potentiores, si quæ forte obscuriora, ea pro se interpretari, ac pro sua mente omnia agere, frustra obnitentibus aliis, qui viribus impares vim pati coguntur, cum arma non habeant cum potentia aut consilio. id sua in rep. eventurum, cujus tam diversa membra; quorum aliqua, quia extra jacturam posita, odio sepe aut invidia, aliorum injuriam libenter negligant. De Belgica negotiatione, & cætera quoque Europæa, item actum est; detractumque, quicquid permittere res videbatur: & mercatoribus Antverpiensibus tribus quatuor decretus etiam commeatus, sed non Faillio. Cum autem Hispanis ne sic quidem satis fieret, deliberando tempus indultum est. moxque Fœderati, explorata adversæ partis sententia, ut omnia se ex æquo & bono velle testatum facerent, denuo

denuo rem in incudem vocant, mutantq; quicquid possunt. Interea queri multis verbis Richardotus, nimium rigidos ipsos esse, ac negotii suscepti Spinolam seque panitere, in quo operam perdituri videbantur. si pertenderent, actum profecto nihil iri; & pacis componenda gloriam, qua nil in rebus humanis excellentius, amissuros. tum hortari, mutarent propositum, & Hispanis aliquid concederent, quibus nisi sua approbarent, frustra futuros. omnibus modis dandum operam ad promovendum potius negotium, quam impediendum; quod rigor iste minaretur. Hæc homo facundus, & affectus movere solers, penè cum lacrymis proferebat. nec oratio frustra fuit, impulitque animos ad majorem moderationem, maxime arbitranti- bus multis, urgeri rem presentem debere, atq; ad finem perducere, ut pacis commoda, & libertatis præteriam apparerent. satis patriæ factum esse, si à Burgundicæ domus prætensionibus liberam in pace tandem collocarent. Moderari itaq; magis placuit, & factum hunc in modum. *Uti provincialibus, quemadmodum inter mercatores solet, ad novem induciarum annos libera in India commercia essent, in iis videlicet locis, quæ Hispano non parerent: à cæteris autem abstinerent, nisi præfectis permittentibus, aut cogente necesseitate. tunc pro amicis habendos esse: idemque in locis Fœderatorum Hispanis quoque jus futurum. & citra quidem Bonæ Spei promontorium initium forent Kal. Sept. anni post secularem octavi; ultra; noni. isto novennio nil hostile quenuquam ausurum. atque hanc legem non ad Hispanos tantum pertinere, aut Fœderatos; sed ad amicos quoque partium principes: quorum nomina intra triennium illi Hagæ, isti Bruxellis tractatui inferenda edere tenerentur. si quæ contra damna fierent, ea illic, ubi aut illata essent, aut qui intulissent habitarent, reparanda esse: neque hoc nomine pignora ulla capi posse. exacto septennio, Bruxellas utrique destinarent, qui rem totam benigne transigerent.* De negotiatione Belgica aliquid item propositum; uti Archiducum & Fœderatorum subditi libere agerent utrobique, & pari jure atq; immunitate naves Antverpia aut aliunde venientes redeunte (que onera libere efferrent, aut referrent; & vectigal tantum penderent, commeatumque pariter cum subditis, sine ullo navium aut mercium discrimine, salvo tamen jure stationis vinariæ, quod ante bellum

obtinuisset. in fluminibus item Hollandicis Zealandicisque commorarentur, venti aut comitatus expectandi causa. merces quoque vel reciperent, vel exponerent, quocumque modo, & per quoscunque vellent, plane quemadmodum ante bellum qui iter facerent, cum sarcinis omnibus parem ubique immunitatem experirentur; nec desistere ad telonia cogerentur. merces, quæ in apothecas reponerentur, aut institoribus traderentur, ob navium defectum alio tempore transportanda, non plus oneris sustinerent, quam quæ statim de nave in navem transferrentur. specialia beneficia, privilegia, immunitates provinciarum, urbium, pagorum, collegiorum, personarumque, quæ ante annum c1o 1o LXVI, neq; his capitibus derogarent, sine nova confirmatione manerent. vectigalia neq; majora, neq; alibi exigerentur, quam ubi & quomodo ante motus hostice receptum. pignerationes in Hispania Belgiove antehac concessæ revocarentur, nisi denegata patriam justitiâ. Et hæc quidem ita decreta, Hispanisq; exhibita, qui acceperunt, sed cum rege communicanda; cui rei dati dies XXXVII. & profectioem Neius suscepit postridie Kal. April. Hinc multis visum, longi operis rem fore, & in dies plures differendam; creditumq; nihil interea actum iri, & Hispanos per ejus absentiam negotiū ducturos, dum de regis voluntate certi essent. Inter hæc in provincias Fœderati discedunt, Batavorūq; comitia dirimuntur. & increbescere rumor coepit, venisse ab Hispania literas, quibus Philippus nuntiaret, provincialibus hisce Indiâ se, & toto illo tractu, interdictū velle; item, instauratam hic religionem majorum; quæ nisi obtineret, irrita omnia habere, & tractatum inceptum abrumpere. Hac de re turbari multi, & de summa rep. agi existimare; cujus maximum periculum esset, antiquum cultum in templa revocare, & commerciis Indicis cedere. pro quibus varia inter prudentes arbitria, & tuendis multa argumenta. Tam dubio statu Fœderati de Britannico fœdere fatagunt, quo res suas confirmarent, si pace aliquando constituta fidem fallere Hispanus vellet. jamque rationes subductæ erant, ac liquebat reliquum æris alieni, ingens hæctenus negotii ejus impedimentum, videbaturque sanciri posse. Quamquam autem jam Neius in Hispaniam venisset, regemq; IX Kal. Majas convenisset, nihil dum tamen referebatur; & XXXVII

diebus profectioi destinatis alii totidem additi fuerunt, prætentibus maxime Hispanis morbum Neii, tum Lermæi ab aula absentiam, & regis in promovendo filio occupationes. Interim conventum iterum fuit, propositumque ab Hispanis, uti commeatus abdicarentur, ad pristinam formam vectigalia reducerentur, Brabantiaque & Flandria restituerentur; se pro hisce Lingam, Salios, & Grollam reddituros. Sed respondere Fœderati, in ipso principio cautum utrinque; VTI POSSIDERENT, ITA POSSESSORES ESSE. hic contra iri. præterea iniqua postulari, & pro plurimis munitissimisque urbibus ac locis, quæ obsidionem quàm longissimam sustinere singula possent, attegias tantum tres promitti, quas XXVI diebus expugnassent. nil profuturum libertatis titulum, si firmissimis urbibus propugnaculisque priventur, & commeatus intermittantur, qui ad reip. defensionem necessario pertinerent. Summa utrinque contentione res agitata, & disertis verbis dicere Fœderati; nullo se modo acquiescere postulatis posse. interesse reip. suæ, ut tam insigniter semel munitam porro tueantur. commeatus quoque ne abdicarentur, per rei maritimæ collegia non licere, quæ constare aliter non possent. Contra obniti Hispani, eam omninò Principibus suis mentem esse, uti suprema in hæc loca juris dictio hoc tractatu ipsis cederet: & avertenda fraudis suspitioni, placere, ut jus præsidii iis locis in proximos aliquot annos habeant, ad reip. securitatem. atque hoc magni beneficii instar esse, quod tam benigne Belgium suum cum Fœderatis partirentur, dum ea iis loca permitterent, quæ munitissima bello præterito experti essent. quod vero ad commeatus attineret, omnino hos intermissos velle; quippe pacis non belli auctores esse, ac proinde abominari, quacunque nomina bello inventa ingratiam semper ejus memoriam representarent: neque item graviora commerciorum onera tolerare posse, quàm quæ fuissent ante annum C13 I3 LXVI. Dum hæc disceptantur non uno conventu, nullus adhuc de Neio nuntius; & elabi tempus, cum indignatione populi, cui interea quæstus exiguus præ quam bello. itaque Fœderati statuunt, ut armistitium, quod Majo mense terminari, in anni finem prorogaretur; Belgicorumque commerciorum ratio propius expenderetur; & bonorum fiscalium venditorum ac non venditorum restitutio dis-

tingueretur. Prius illud detrectare sane multi; quippe enervari militem tam longâ armorum desuetudine, eludi libertatis vindicias, & si per hanc occasionem copia aliquot exauctorentur, exarmari temere provincias, quæ ad armistitii confirmationem nihil haberent præter sola promissa Archiducum, eorumve, qui in regis sui gratiam, ubi usus foret, fidem fallere non vererentur. porro impares bello instaurando reddi, multo magis paci condenda, cujus arbitrium fere penes potentiores. Nihilominus indicto conventu in XIII Kal. Junias, quæ commemoravi placita Hispanis proponunt: iiq; capita aliquam multa videntes, plurium dierum opus esse inquiebant; sed armistitii prolationem admittebant. cum testari Fœderati, res suas hanc incertitudinem minime ferre; ac decernendum semel tandem ante finem Julii esse. nisi fieret, negotium omne intermissuros: nec diutius passuros, ut patientia sua ipsi pro libidine abutantur. Interim ob prolata arma gaudere maximopere Hispani, qui ad bellum imparati, ne pridem parta rursus amitterent, tueri ea cunctando quærebant; expectantes dum, advecto ex India auro, ipsi vires recuperarent; Belgæ autem, flaccescente indies quæstu, publice pariter ac privatim exhaurirentur. Et jam nonnulla de pace desperatio erat, quam auxit aliquantum Verreickii discessus, qui proposita pridem capita cum Archiducibus communicanda inquiebat, ideoque Bruxellas proficisci debere, brevi rediturum. Suspecta hæc profectio fuit, & quæstus causæ prætextus credebatur. rediit tamen, ut promiserat, ineunte Junio. Inde in conventu, cum de limitibus ageretur, dixerunt Hispani; velle sese, ut Fœderatis in ea, quæ in Brabantia Flandriaque oppida tenerent, jus summum esset, ipsi in subjectum territorium haberent; & vicissim in Linganos, Salios, Trans-Iselanos, Zutphanensesque pari modo supremae potestatis ratio commutaretur. Mox cum de bonis fisci mentio fieret, reddi omnia utrinque cupiebant, nec minus clericis, quàm qui extra clerum essent. eaque in re quod hominibus privatis jus foret, idem concedi Archiducibus, quibus dominia sua restitui oporteret, libere per quoscunque præfectos administranda. ipsos quidem jus supremum in unitas Belgii provincias permisisse, sed dominia, ac patrimonia, non donasse. Hic Fœde-

Fœderati; manifesta sibi ipsorum consilia, quae
 eo tenderent, ut in summam egestatem provin-
 cias involverent; ac desertas urbes redderent.
 quippe cives, qui plerunque bona sua in subjectis
 agris habeant, ut frui iis commode liceat, facile
 nundinis, & id genus beneficiis, eo pertrahi: atq;
 ita ipsas quaestu privatas necessario desolari. por-
 ro supremam potestatem & dominia distinguere
 velle, hoc vero esse reip. majestatem prostituere;
 quod, nisi extrema passi, non solerent. Cum
 Hispani animadverterent, tam cordate
 dignitatem suam tueri Fœderatos, ut re-
 mittere aliquid viderentur, à territorii ju-
 re, quod salvum sibi volebant, nihil rece-
 dentes, alterum de dominiis caput distin-
 ctione mitigarunt. & vetera quidem cum su-
 premo jure permittere, nova autem restitui vel-
 le. ea vero esse, quaecunque ad duces, comites,
 dynastasque Belgii speciali aliquo titulo pertine-
 re constaret; quæ singillatim recensere de-
 tractabant, mox facturi, cum de singulo-
 rum jure dissertare instituerent. Sed id
 Fœderatis improbatum, existimantibus,
 in re tam magni momenti clare omnia ac perspi-
 cue proponenda. Cum discedere à sententia
 Hispani nollent, & Fœderati constanter
 urgerent, pluribus colloquiis nihil aliud
 plane actum, quam de cæteris capitibus
 quæ sententia partium esset ut inquire-
 rent. ac deprehensa Hispanorum in mul-
 tis tergiversatione, testabantur Fœderati,
 non se circumduci amplius velle: aliquid proxi-
 mo Julio statuendum, proinde bona fide expone-
 rent, an principes suos aliquid in hoc negotio
 decerni velle censerent. idque cum illi affir-
 marent, multi præterea sermones fuerunt,
 maxime de exauctorando milite extra-
 neo; in quo cum legem nullam neque ac-
 cipere ipsi, neque Fœderatis quoq; præ-
 scribere velle dicerent, & responderetur,
 cæteris transactis non hoc nimis urgen-
 dum fore, à colloquio discessum est. mox-
 que affuit Verreickius, confestim Bruxel-
 las proficiscendum sibi inquiens, ut curso-
 ri Hispanico quædam aurei velleris, cujus
 ordini ipse ab actis, cimelia traderet, quæ
 rex poscere ad festi celebritatem ornan-
 dam, quo ordinis ejus principem consti-
 tuere filium, & regnorū suorum heredem
 pronuntiare decreverat. Suspicionem labo-
 ravit profectio, & non pauci admirari,
 quæ res Philippum ætate viridi, ac liberis

quærendis maxime idonea, in cogitatio-
 nem eam adduceret, tam certa in filio ma-
 jori successione. adeoque auxit suspicio-
 nem æque inexpectatus Ianini discessus,
 licet antea item tentatus, qui regis sui jussa
 obtendens, serio Fœderatos admonebat,
 uti remp. salvam præstarent, fœdusque Britan-
 nicum accurarent, nec pacem ullo modo negli-
 gerent, si honestam eam, ac certam, obtinere
 possent. In Frisiâ turbatum paullulum su-
 pra diximus, mandatumq; Ennoni à Fœ-
 deratis, ut præsidio Embdano florenorum
 quadraginta clō expediret, naves præter-
 ea in Hispania per vim detentas relaxari
 curaret. Ad pecuniam quod attinet, ea
 soluta. De cætero ipse Hagam instituto
 itinere, ubi Delphos pervenisset, occupati
 Hispanico negotio Fœderati, alieni tem-
 pus esse nuntiant, nec rebus ejus vacare posse.
 effectum tamen per Winwodum, ut Ha-
 gam Embdani evocarentur; quod illos
 perculit. ideoque convocati cives sacra-
 mento inter se dicunt, à tractatu Hagiensi
 haud recessuros, nec pro domino Ennonem un-
 quam agnituros; nisi damna illata sarciret,
 & bonum deinceps Principem ageret. Hujus
 sacramenti sui certiores Fœderatos fa-
 ciunt, iterumque ad causam dicendam
 Enno admitti petiit: sed fratris Gustavi
 morte impeditus, Frantzium ac Wiar-
 dam oratores mittit. Ianini discessus mul-
 torum animos varie habuit, maxime
 cum nuntiaretur advenisse in Gallias Pe-
 trus Toletanus, quem magna conaturum
 multi prædicabant. Interim viii Kal. Ju-
 lias ubi conventum iterum esset, actum
 est de urbium, territoriorum, ac collegiorum
 privilegiis; item de limitibus, utque mari, ad
 securitatem utriusque partis, bellicæ naves ad
 tertium usque milliare ostiis alterius portubusque
 abstinerent; terra vero ad mille decempedas
 nulla in finibus castella excitarentur. in Braban-
 tiæ & Flandriæ oppidis magistratus à Fœderatis
 per decennium proximum constituerentur, salvo
 tamen jure dominorum, ad quos ea pertinerent:
 pax autem si qua sanciretur, à quatuor præfuli-
 bus, totidemq; baronibus, ac magnis urbibus, quæ
 de ea acta essent, subscriberentur, atque universi
 ad asserendam juramento sese obstringerent. si
 quid contra tentaretur, trimestre utrinque in-
 stauranda concederetur. Quin etiam incola-
 rum commodis consultum cupiunt, utque

rebus ordinandis, pace rupta, semestre haberent. Sed hæc omnia proposita tantum, non decreta, colloquiumque ad Kal. Iulias rejectum. tunc de negotio religionis disceptatum, & modestia utrobique indicenda: postulatumque, uti Fœderatorum subditis idem in Hispaniis juris esset, cæteroque Belgio, quod Britannni, pace per Comitum stabuli Castellani constituta, obtinuissent. Sed hic quoque nil effectum, excusantibus Hispanis, iussa sibi exspectanda, mox per Neium afferenda. Momentum habere res hæc visa Fœderatis, reputantibus insuper quæ Peckius, Archiducum in Galliis legatus, ad regem & Suillum verba fecisset; nunquam Hispano id animi fuisse, ut Fœderatis jus supremum transcriberet. ea tantum sine factum, ut ad colloquium invitaret, & imaginaria libertatis gratia paci viam sterneret. ac quamvis jus suum suspendi ad tempus aliquod per inducias permisisset, non alia tamen lege permissurum quicquam fuisse, quam integro Indiarum commercio, & restituito per Belgium univèrsim pristino sacrorum cultu. Satis provinciarum statum per legatos didicisse, & pace an bello, facile superiorem fore, laborantibus ipsis ærarii inopia, dissidio intestino, & principum vicinorum offensa. Hæc ex Arsenii, sui illic legati, literis intellexerant Fœderati, cui Villaregius quoque dixerat; per Italiam, Hispaniam, Galliasque passim jactitare Hispanos, multa se etiam supra spem tractatu isto consecutos. tum Petrum Toletanum adventare, ex Hispania magnatibus unum, omnibus modis annisurum, ut, confirmata inter Galliam & Hispaniam amicitia, animum regis ab ipsis diverterat; eamque rem Pontificem quoque, & Iesuitas, adjuvare. Eadem Cæsari in Germania exposuisse legatum Hispanicum Brederodius nuotiabat. Sic Fœderati, quæ Hispanorū in tractatu isto pacis consilia essent, undique discunt. & dum de longa Neii absentia solliciti cogitationem suspendunt, Toletanum Lutetiam advenisse intelligunt, neque Neium, quem exspectabant, comitem habere. igitur majore cura incumbunt, & ante definentem Iulium finem negotio imponere satagunt. sed testari iterum Hispani; ejusmodi cunctationes aule sue proprias esse: nec tam cito expediri eum posse. quamobrem prorogaretur tempus, & sex alia septimana extremo Iulio adderentur. Fa-

ctum id à Fœderatis, ut fidem suam, sinceritatem, ac patientiam omnibus manifestam facerent; quamvis rediturum esse ipse Spinola vix speraret, multa regi, Archiducibus, sibi quoque falso persuasisse hominem dictitans. Fregit longa hæc absentia patientiam legati Danici: qui, cum neque à Fœderatis, neque ab Hispanis induci ullis rationibus se ad manendum pateretur, imposturam stomachatus, Kal. ipsis Augusti discessit. Iam in Gallia Toletanus mandata exposuerat, & Ianinum rex remisit, qui legationis causam Fœderatis declararet. neque enim aliud agitari, quam ut captum pacis negotium perturbaret; sed ab ista cogitatione valde se alienum esse; ac testatum, pacem Belgii inter primas curas habere. quamobrem lentum hæcenus negotium maturarent, & vel qualemcunque tandem finem imponerent. Ea de causa in xiii Kal. Septembres conventum indicunt, & de religione maxime, commerciorumque libertate, ac limitibus, cæterisque præcipuis capitibus, definiri aliquid postulant. Respondere autem Hispani, etiam sibi id mandatum; & Regi atque Archiducibus placere, uti in provincias unitas jus supremum penes Fœderatos maneat, dum modo ipsi veterem sacrorum cultum restituant, & India utraque in posterum abstineant. de cæteris convenienter responsum arbitrari. cumque in sententia perseverarent, dirempto conventu, reque inter Fœderatos, Mauritium, Senatum, principumque legatos deliberata, abrumpere tractatum irritum hæcenus conatu placuit. itaque ad x Kal. Sept. Hispanis edicunt; damnosa toties, vivo adhuc Philippo II, de pace colloquia effecisse, ut plus xxv annis, etsi mox Philippo ipso offerente, ejusque legatis, intercedente etiam Cæsare, aliisque Europæ potentissimis Regibus ac Principibus, accepta ante damna metuentes, nullam pacis mentionem admittere vellent. itaque mense Ianuario anni præteriti Archiducibus respondiisse, quod pridem Cæsari: neque honestam, neque certam pacem iniri cum eis posse, qui libertatem jure vindicatam, assertam armis, auctoritate confirmatam, imminutum palam irent. Abominari porro quacunque ea causa ærumna Belgium afflixissent, & deinceps afflictura viderentur. Non se ullius mali auctores; culpam penes illos esse, qui, nullo juris divini aut humani respectu, oppressos ipsos omnino ceperent.

rent. Postea promississe Archiduces, salvam libertatem fore; nec juris aliquid præsumum iri, quo vel pax inviolabilis, vel induciæ longi temporis fieri possent. Cumque initio concessum esset per inducias *VNUMQVEMQUE, UT POSSEDERET, ITA POSSESSVRVM ESSE:* pace vero, quicquid præterea pacisci possent; de commerciis vero Indicis, cum constanter cedere iis recusarent, rem Archiduces mutasse, pronun-
 ciassæque: si ve pace, si ve induciis, eodem omnes jure usuros; nisi communi consensu loca quadam permutanda viderentur, nulla Indiarum exceptione. atque ita, fundanda paci, inhibita arma, astrictamque vim militarem; idque ratum ternis literis Philippum ipsum habuisse. insuper exposuisse sese, facile sibi, veluti liberarum provinciarum dominis, Dei, Principumque fœderatorum auxilio, rem suam ordinare, & providere, ne quid detrimenti capiat. atque hic primas religionis partes esse, in qua innovari quicquam proximo tractatu præter pacta permissuri nunquam essent. Deinde summam totius negotii perstricto progressu, ac fraude ostensa, per quam simplicitati suæ rectæque fidei illufissent, ceu læsa per subdolam cunctationem patientia, palam edicunt; non ultra tricandum videri. sese quidem optimâ fide cuncta egisse; & ad pertractandum negotium animum pacis perquam cupidum attulisse. contra tam præclaræ voluntati suæ ipsos hæcenus defuisse, qui nihil minus quam pacem animo agitarent: idque per summam conditionum propositarum iniquitatem exploratum satis esse. Quapropter decrevisse, ne in posterum patientiam prostituerent, artes suas sibi haberent; ipsos tutius libertatem in armis asserturos esse, quam callide illi per pacem evertere conarentur. Ingratum Hispanis hoc edictum, deq; præcipiti ejus rigore apud ceteros legatos ubi multa questi essent, ii vi Kal. Septembr. in confessu Fœderatorum declarare; omnia se, ut jussi erant, etsi frustra, Belgio tranquillando tentasse. Porro in mandatis habere, si pax forte non succederet, tum de induciis, bello longe utilioribus, uti sedulo laborarent. quamobrem monitos ipsos velle, ne hoc consiliū aspernarentur, si iisdem conditionibus impetrare eas possent, quibus pacem statuissent. Vereri se quidem, nihilo faciliores etiam hic Hispanos fore; veruntamen effectum iri, ut & ipsi arma justius resumant, & opera in conciliandis à principibus suis posita clarius tanto elucescat. itaque expen-
 derent, quæ in commune consulissent; & inducias admitterent, haud minus pace profuturas. deinde, aliquid etiam amicitia eorum darent, quorum intererat temp. ipsos quam maxime florentem habere. Sic digressi Hispanos accedunt, eadem illis quoque sua luri. Vtrinque tempus deliberando postulatum, mox responsum à Fœderatis; placere consilium, & de induciis agere paratos, dum caveretur, finitibus iis nihilominus libertatem salvam fore; aliâ conditione nunquam acturos. Ab Hispanis vero exceptum; non id sibi mandati esse, itaque Bruxellas misisse, & responsum intra quartum diem fore. eo allato mox exponunt; non placere regi, aut Archiducibus, ut in induciis constituendis libertatis titulus concederetur, ne dum religionis avitæ, aut Indiarum, restitutio negligeretur. misisse tamen in Hispaniam Archiduces, uti sententiam regis explorarent, de qua ante desinentem Septembrem certiores esse possent; idque tempus expectare ipsos velle, si Fœderati moram tantillam indulgerent. quin, si mallent, Archiducum nomine septennales inducias statuere paratos, veluti præsentis armistitii continuationem; quo cum plena libertatis assertione semel decreto, ejus mentionem repeti nil necesse: quam si urgerent, alienis Hispanorum animis, negotium difficillimum fore. quod vero ad commercia Indica pariter atque Hispanica attineret, Archiduces promitterent, operam se duros esse, ut ad præscriptum induciarum tempus decreta de iis rata Hispanus haberet, de cæteris capitibus rationi consentanea statuerent, si bimestre tantum concederetur percunctando, an commercio Indiarum Fœderati per indulgentiam regis, an vero per vim atque arma usuri essent. quod si audire propositum hoc nolent, tum pro ipsis intercederent, uti ad extremum Septembrem manere liceret. Legati cum prius obtineri posse desperarent, posterius petierunt. idque concessum satis gravate, testantibus Fœderatis, maluisse se, uti Bruxellas profecti Hispani jussa illic regis sui expectarent. sed in regum principumque confœderatorum gratiam passuros, ut ad proximas Kalend. Octobres Haga subsistant. hanc supremam tempestatem fore, neque ulterius moræ spatium impetratum ullum iri. Frustra esse, qui circumducere ipsos vellent; satis exploratum habere, fraudes meras agitari. speciosis initio promissis adductos, ut aures animosq; ad pacem inclinarent: nunc nil minus cogitari. pacem in inducias, illam
 in ar-

in armistitii prorogationem commutari, nulla libertatis mentione, in qua summa rei verteretur. nollent certe existimare, aut prudentiam ipsis deesse ad deprehendenda tam callida consilia, aut animum ad recipienda arma; quæ ut agre sumpserant, ita nisi cum laude & gloria essent posituri. Indignari etiam Mauritius, qui etsi amantissimus pacis, animum tamen ab hoc tractatu alienum semper habuit, quia diffidium intestinum, & alia quædam mala metueret, ceu negligentioribus armorum, & defensionis suæ, omnibus deinceps futuris. Præterea dolum verebatur, evidenter aliquo modo hac cunctatione proditum. quamobrem datis ad urbes singulas literis serio omnes ad fortitudinem ac constantiam exhortari: *nunc enim illud tempus esse, cum deserere resp. non deberet. neque iis auscultandum, qui inducias aut tam utiles prædicabant, ut contemni non deberent; aut ita necessitatem publicam exaggerabant, ut fere defensionem omnem superaret. Satis adhuc virium restare, neque indecore cum hoste propterea paciscendum, ad provinciarum perniciem, quæ quavis necessitate gravius sit afflictura. proinde patres suos imitarentur, qui vel in majora pericula olim adducti, nunquam tamen consilia huiusmodi admittere voluissent. Vindicias quoque libertatis considerarent, quæ ne dubiis verborum latebris eluderentur, providerent. summa hic claritate opus esse, nec disceptari ab hoste debere, si sine dolo agere censeret vellet.* Interim mandata Hispani ab Archiducibus nova accipiunt, tentantque per Richardotum legatorum animos, inquires; iussisse Archiduces *cum Fœderatis, veluti nullius juri obnoxii, inducias septennales fieri, liberis per Europam totam commerciis, & salva utrinque partium possessione; sperare etiam, approbaturum id Philippum, etsi mandata ab eo nulla.* Sed ubi libertatem commerciorum etiam extra Europam, & per utranque Indiam, cum plena juris cujuscunque renunciatio-
ne urgerent legati, cæteroquin Fœderatorum persuadendorum spem nullam esse, iique hoc mandati datum sibi negarent, edixerunt, ne quid amplius sperarent, vanum cæterum conatum fore, neque permoveri à se Fœderatos posse. quo intellecto, colloquium apud Verreickium habent, & discessum statuunt. Itaque salutato prius Mauritio, & legatis, pridie Kal.

Octobres Fœderatos quoque adeunt, ibique Archiducum sinceritatem, & propensam ad pacis negotium voluntatem, magno-
pere extollere Richardotus, Fœderatorum contra abruptum rigorem & duritiam accusare, hortarique: *bene rem perpenderent, & oblata recte considerarent, neque ita temere rejicerent, multis mox precibus impetranda. præcipitis consilii certam semper penitentiam esse. deinde, si redintegrando bello causam præberent, rationes iis reddendas tot imminuentium ærumnarum.* Contra objicere Fœderati; *optima fide omnia egisse, & pro vetere gentis suæ simplicitate. ipsos potius in culpa esse, qui præstare libertatem, initio verbis tam speciosis oblatam, nollent; sine qua admissi nunquam fuissent.* Hic interloqui etiam Spinola, & post pauca ejus verba, de suo quoque erga pacem publicam affectu, dicta utrinque salute, discessum est. Sane invitis Hispanis hoc fuit, petierantque à legatis, ut suo nomine decem tantum dierum moram impetrarent; eamque ad rem etiam in Gallia apud Regem Toletani operâ usi erant, sed nullo successu. Itaque eo ipso die, apud Mauritium pransi, post meridiem discedunt, relicto à Richardoto mandatorum, quæ ab Archiducibus habebat, exemplari; quod consulto, an imprudenter factum, varia conjectura erat. Interim vero dum ita ab armis cessabatur, militi tamen inter se grassari licuit. atque ita Sidleniscius, Graviæ præfectus, dum pronò Mosa Vornam devehitur, captus Silvam ducis abducitur. Wernerus Bosius, militaris senatus præses, Geldermalsa è convivio domû rediens, per viam oppressus, cum accipere vincula nollet, vitam dedit, vir belli peritus, animoque promptus ac manu. Adolphus Nassovius, è Lutzenburgensi agro revertens, & Rhenobercam prætergressus, salutato militari more præsidio, dum in propinquo pago noctem agit, periculi securus, inopinatò opprimitur; & fortiter magis quàm feliciter pugnans, sibi mortem non ingloriam, suis victoriam acquisivit. Quamvis autem jam discessu Hispanorum spes de pace universa concidisse videbatur, non destiterunt tamen Galliæ ac Britannia legati; & quando de pace irrita consilia omnia essent, inducias suaservunt. Cumque pericu-

periculosas eas Foederati existimarent, scrupulum eximere Ianinus fategit, & diffidentiae justissimas causas opponentibus respondit, quod si fidem Hispani fallerent, velle ac posse regem suum quemlibet cum ipsis tractatum inire, ac remp. salvam prestare. quin per literas ipse rex suadere enixe, ut inducias ne rejicerent, quas pacisci salva libertate possent. Idem etiam Britannus facere, interminari quoque visus, nisi consilio parent, auxilia deinceps nulla illic habituros. Mirari multi vehementiam, quippe pacem non tam serio agitaram, in qua tamen plus securitatis esset. ea enim semel constituta, sine nova aliqua offensa, aut violata etiam fide, bellum instaurari non posse; quae res indignationem animis populi diffidentiamque afferret. contra in induciis fieri, quibus finitis sine probro, aut calumnia, arma recipere permissum esset. tum in integro omne jus, ceu nunquam abdicatum, esse. insuper metuendum etiam, ne recte exactis, populus fidem ab Hispanis servari expertus, animum ad illos inclinaret, & excussum semel jugum facilius reciperet. Sed haec dimovere legatos à proposito non potuerunt, eoque res ab iis perdueta, ut de induciis ad XII annos statuendis, secundum XV illa capita, quae exhibuerant, porro ageretur. prolatoque armistitio negotium iis, quibus antea, demandatur: idque X Kal. Ianuar. inchoatum, spondentibus legatis, curaturos reges suos, uti effectum pacta haberent. Hac de causa Mancidorius iter in Hispaniam fecerat, & reversus à Philippo mandatum attulit, ne induciae longae fierent; tantum ut haecenus armistitium proferretur, & commercia in Hispania libera essent: extra Europam atque in mari mediterraneo, arma porro grassarentur. Ea res Zelandis placuit, sed non aliis. & diffidium ingens erat, adeo nonnullis ad pacem aut inducias pronis, quasi extra illas salvam remp. habituri non fuissent. Huc accedere, quod duodecennes inducias provincialium omnium animis tantum pacis atque amicitiae mutuae studium imposituras existimarent, ut ad arma resumenda adduci in posterum nunquam possent. Aliis graviore periculo laborari videbatur. quippe Archiducibus facile auctoritatem per praesidia vindicare, & obedientiam subditis suis extorquere; quandoquidem ex eorum nutu & voluntate Ordines provinciarum penderent: at Foederatis me-

tuendum, ne constantia populi labefactaretur, aut dividerentur animi: quod facile sane even-
 turum in Gelria, Trans-Iselania, & ditione Groningana, ubi per vim imperata arma, & penes nobilitatem maxima potestas; quae agris tutandis, in quibus fere omnes eorum facultates, & periculo evitando, partes mutatura. Huc accedebat provinciarum in pecunia deinceps conferenda discordia; & in maximum sane discrimen Resp. adducta videbatur: neque diffidium duntaxat animorum erat, sed ira quoque, & exasperatio, gravissimi semper mali irritamenta. jamq; Archiduces id quod optaverant consecutos existimare aliquis poterat, fracta illa antiqua concordia: & actum fortassis de Rep. tota erat, nisi ejus Fortuna, conciliatis iterum animis, jam nutantem sustinisset. quamobrem consensus communis fuit, affectus privatos publicae utilitati donare, & conditionibus aequis animum ad inducias vertere. Brabantiae etiam, Flandriaeque, ac caeterarum provinciarum Hispanicarum Ordines, Archiducibus representabant, maximam belli calamitatem, militum non soluto stipendio intolerandam plane licentiam. dandam fessis erumnarum aliquam quietem, & respirandi tempus. satis haecenus grassata arma, & conculcatas leges esse: illis modum tandem statui, his decus suum reddi oportere. praeterea, finire tot annorum miseriam, seculi totius beneficium, & immortalem principum gloriam esse, quam trophaea nulla aequarent. Hoc rerum statu Germaniae principum legati discedunt, ceu pacem iussi, non inducias adjuvare. Circa hoc tempus in Britanniam appulit, à Philippo missus, Ferrandus Gironus, eques Melitensis, qui de opera Belgicae pacis negotio impenfa magnas regi gratias ageret; quod in Gallia Toletano quoque mandatum. Interim sedulo laborari ad conciliandas partes, & legatis suis mandare Foederati, proposita capita ut refingerent, viderentque, si quid in verbis sine reip. fraude mutari posset: ut Antverpiam profecturi legati regum eventum denuo tentarent, & explorarent, an vel isthoc modo ad rem ex aequo & bono tractandam permoveri se Archiduces paterentur. Ac post multam disceptationem profecti illi quinto Eid. Februarias Antverpiam venerunt, ubi collo-

colloquia habita plurima, nec paucae difficultates objectae: jamque res in praecipiti esse, cum ecce praeter spem quodammodo Fortuna publica animos conjungit, decretumque, uti ad pertractandas inducias legati utrinque Antverpiae adessent. Et advenere non multo post a Foederatis, quos Spinola, Mancidorius, & Verreickius per quam honorifice exceptos in aedes Fuggerorum deducunt, ubi hospitium designata. Conventum illic aliquoties fuit, atque paucis post diebus factae XII annorum induciae, certis legibus, quas Rex, Archiduces, Foederatique, ratas se per literas habere testarentur. easque solenni forma scriptas, Archiduces quidem & Foederati intra primos IV dies, rex Philippus intra tertium mensem daret. idque simul ab Archiducibus Foederatisque factum foret, tum induciae constitutae promulgarentur. Atque ita terminatum bellum est, quo aliud gravius historiae non habent. Comparemus enim, quae omnibus ante seculis gesta, istud vincet. Primam sibi armorum laudem Roma vindicat, totius orbis imperio nata, & diu varieque pugnavit; sed viribus semper aequalis hosti, saepe superior. Foederati contra omnibus modis longe inferiores; & quos contemnere hostis poterat, certe metuere non debebat, nisi quatenus oppressum per omne nefas populum justa ira ac desperatio erigit plerumque & potentem facit. Varia illis rerum & praeliorum fortuna. aliquando victores, saepe victi; ita tamen, ut virtus ipsis sua constaret, & animus vetus tuendae libertatis, quem vis nulla, nulla pericula, aut aerumnae perculerunt. Maestae constantia ista animae excelsae! vos Deus & virtus vestra servavit,

ac cum ista externorum principum auxilia. Positis vero hunc in modum armis, & asserta libertate, Foederati, quibus inter reliquas virtutes prima pietas, pridie Non. Maji per imperii sui provincias gratas Deo agendas, & supplicationem decreverunt, ut stabilis ipsis tranquillitas ista publica maneret, & mox pace aliqua certa firmaretur, integra religione, magistratus auctoritate, & provincialium concordia. Et merito gratias agimus tibi, Aeternum numen, quippe abs te factum est istud, & visum est mirabile in oculis nostris. At vos Heroes, & Reip. hujus dii Sospitatores, Ordines Foederati, vosque eorum legati, Gulielme Nassovi, Walravi Brederodi, Corneli Genti, Ioannes Barneveldi, Iacobe Malderae, Gerarde Renessi, Ioannes Slothi, Gelli Hillema, Abele Conderfi, salvete. salvete illustria nomina. Gratias vobis agit immortales patria universa pro beneficio incomparabili, quod a posteris in Aeternitatis tabulis perlegetur. Vos etenim in induciis hisce constituendis fide summa laborastis, & negotii universi molem maxime in vos inclinatam sustinistis, prudentia admirabili, patientia incredibili, constantia inefabili; & quam nunquam Invidia concussit, aut Calumnia. Salvete iterum, Heroes praestantissimi, qui odii atque gratiae popularis pariter securi, rectam virtutis viam insistentes, non spe aut metu impelli vos posse ostendistis. neque ante quiescendum existimastis, quam quietem ipsi, post tot annorum bella, patriae communi vestra opera redditam esse videretis. Affirmo vobis, in memoria hominum erit virtus vestra; & tam praecleara in Remp. merita nulla unquam aetas ignorabit.

F I N I S.